

octo annis, vel facta fuerit coram dominio et auctoritate domini civitatis Tergesti. ¶ Insuper nulla uxor alicuius sine consensu viri possit vel valeat aliquo modo facere aliquam donationem venditionem alienationem vel obligationem marito suo nec alicui persone sibi subiecte in preiudicium comunis vel alterius singularis persone, excepto quam in testamento vel aliis ultimis voluntatibus et causa dotis, nec etiam vir uxori. ¶ Et si appareret aliqua ex dictis obligationibus facta contra formam presentis statuti, sit cassa et nullius valoris ipso iure. ¶ Preterea volumus quod nulla persona civis vel habitatrix Tergesti possit nec valeat modo aliquo vel causa vendere donare alienare affictare vel alio modo obligare alicui suo filio vel filie nepti vel nepte // uni vel pluribus, nec alteri persone qui vel que esset subdicta vel sub protectione ¹⁾ ipsius, aliquam suam possessionem scitam in civitate vel districtu Tergesti, nec aliam obligationem facere que valeat vel teneat in preiudicium illius cui postea se obligaret talis persona alienans vendens vel donans, quominus creditor vel alia persona habens ius contra talem alienantem uti possit iuribus suis super ipsis bonis et possessionibus, tanquam si alienata non essent. ¶ Excepto quam in testamento seu ultima voluntate. Et exceptis bonis dotalibus datis in dotibus tempore matrimonii.

Cap. XXVIII. Rubrica de bonis defunctorum ab intestato. Et cui hereditas talium bonorum pertinere debet.

Providimus statuendo quod bona defuncti vel defuncte descendens ab intestato cum legitima etate vel sine veniant propinquioribus defuncti vel defuncte unde illa bona perveneri[n]t, civibus habitantibus Tergesti tantum et non forensibus neque alibi habitantibus. ¶ Et si defunctus vel defuncta ab intestato legitime etatis filios vel filias legitimas ab ipso vel ipsa descendentes [haberet], tunc bona dicti talis defuncti vel

¹⁾ Il testo ha *petitione* poi rozzamente corretto in *proetitione*.